Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Piscibvs|| Et Cetis|| Libri V||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529014

Illustration: Tab. XXXIII. Piraia et Piranha [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11089

6


Tab. XXXIIII.
Piraia et Piranha.
Guaibi Coara.
Guaperua.
Amore Guacu
Guacari
Piraumbu.
Acaraaia.
Acara.
Guaruguaru.
Cugupu. Guacu.
Piaba.
Maturaque.
Carapo.

modo ſpinis hiſpidis oſſeis ſuſtentatas. Poſt anum in infimo ventre anguſta eſt pinna, parallelogramma, duos digitos longa. In medio dorſo pinna eſt, quatuor digitos longa, duos lata, ſpinis hiſpidis ordine diſpoſitis ſuſtentata, ac anterius ſpina dura craſſiore ſuffulta, poſt hanc prope ortum caudae ſuperius parva quaedam eſt pinna, membranoſa, quae anterius corniculata ſpina fulcitur. *Cauda* conſtat pinna tres digitos longa inferius, duos ſuperius, bicornis, ſpinis firmis ſuffulta. Totum caput teſta veſtitur dura ad tactum hiſpida: totum corpus ſquammis triangularibus, verſus anteriora majoribus, ordine poſitis.

Sunt autem ſquammae omnes ad tactum aſperae, quaſi exſculptae, quaelibet in ſui medio extuberantiam habens: ſcilicet totum corpus loricatum eſt, et quaelibet pars loricae habet quatuor angulos, et in quolibet exiſtit tuberculum, ita ut in quolibet latere ſit quadruplex ordo tuberculorum. *Color* totius piſcis croceus dilutus, in ventre ſaturatior; ac per totum maculatur maculis rotundis, magnitudine ſeminis ſinapi, fuſcis. Maculae hae in lateribus et pinnis paulo ſunt majores, in capite minores, ac in ſummitate capitis maculae ruunt quaſi rivuli. Poſterior medietas ventris nullas habet maculas. *Pinnae* omnes ut corpus coloratae et maculatae, excepta pinnula prope caudam, quae conſtat membranula nigra, corniculata autem illius ſpina crocea eſt et maculata ut reliquae.

Diu vivit extra aquam, ad quinque horas. Editur defracta lorica, ſed paucam habet carnem: inteſtina longiſſima, aequalis omnia craſſitiei, inſtar craſſioris fili, quo vela conſuuunt. Habebat unus piſcis quindecim digitos longus, inteſtina viginti octo pedes longa, quae dimenſus ſum.

Reperitur et hic *Guacari*, magnitudine et figura plane ſimilis priori, qui in flumine S. Franciſci capitur ſolo colore differens et bonitate carnis: eſt enim totus umbrae coloris obſcuri, et per totum maculis adſperſus obrotundis, nigris, ſeminis ſinapi magnitudine. Caro hujus boni eſt ſaporis.

CAPUT XII.

De Piraumbu, Acaraja et Acara.

TAB. XXXIV. 6. 7. 8. *Marcgrav. H.Braſ. l. 4. c. 14.*

PIRAUMBU Braſilienſibus; *Chayquarona* Luſitan. Piſcis Carpionis magnitudine et figura, decem digitos longus ab ore ad initium caudae, paulo plus quatuor digitos latus, ubi latiſſimus: verſus caudam anguſtior et aequalis latitudinis, duorum nimirum digitorum. *Os* habet inſtar Carpionis, oculos magnos prominentes, pupilla cryſtallina, circulo aureo cum albo mixto. *Pinnas* obtinet octo, nimirum unam in medio dorſo, paulo plus tribus digitis longam et unam latam, quam in rimam recondere poteſt, et erectam novem firmis ſpinis ſuſtentare: huic contigua eſt alia tres fere digitos longa, minus uno lata nullis innixa ſpinis: poſt utramque branchiam unam habet tres digitos longam, unam latam in exortu: in infimo ventre duas junctas, duos digitos longas, vix unum latas, firma ſpina munitas; poſt anum unam, digitum latam, dimidium longam, itidem firma ſpina ſuſtentatam: octava eſt pro cauda, tres digitos longa, totidem lata et furcata. Squammas habet majores, inſtar Carpionis, argentei ſplendentis coloris, pauxillo aureo mixti: quaelibet autem ſquamma mediam partem uſque ab inſertione ſua coloris eſt *feuliemort:* ſub capite et ventris priore parte magis argenteus eſt: Omnes pinnae dilute cinerei ſunt coloris. In ore ſuperius et inferius lapidem habet, denticulis minimis praeditum, vix ſenſibilibus.

Edulis eſt ac boni ſaporis.

ACARAIA vulgo corrupte *Garanha:* Piſcis, qui trium pedum longitudinem adipiſcitur, figura Carpionis. *Dentes* in inferiori mandibula habet acutos, inſtar acicularum: in ſuperiori duos longos paulo craſſiores, quibus interjacent minutiſſimi

vix